

De Morte

CLARISSIMI  
THEOLOGI DN.THOMAE FELEGIHAZII DEBRE-  
cini, patriæ pastoris laudatissimi, inter medias pre-  
ces hora 9. vespertina, diei decimi sexti  
miceris Ianuarii placidissimè  
expirantis;

ANNO περιπολονίας

M. D. LXXXVI.

BCU Cluj / Central University Library Cluj

A

*JOHANNE GIVLAIO*  
*Scholæ Debrecinæ Rectore, in testimonium*  
*sinceræ suæ erga illum benevolentiae ac*  
*obseruantiae perpetuum, numeris*  
*comprehensus.*



DEBRECINI  
 Typis Rodolphi Hofhalteri.

Prudentissimo laudatissimoq;  
SENATVI DEBRECINO, IOHAN-  
nes Giulai Scholæ Rector S. & felicitatem.

 LABORAVI carmen istud querulum;  
PATRES reverendi, vel potius  
tumultuarie inter multiplices fundio-  
nis meæ molestias effudi; partim ut  
communem luctum omnium in hoc oppido nostro  
fidelium ob mortem fidelissimi pastoris nostri ali-  
quomodo depingerem, aliisq; has pagellas inspe-  
cturis testatum facarem, partim vero ut meam  
erga virum hunc haud dubie in beatam illa pia-  
rum animarum coloniam translatum, hoc quali-  
cunq; testimonio declararem observantiam ac pie-  
tatem. Quod quoniam sub nomine Ecclesie no-  
stræ (uti certè damnum et calamitas ex huius vi-  
ri obitu redundans ad hanc præcipue pertinet)  
prodit, idcirco vobis infelices hasce strenas et do-  
num satis lugubre, offerre libuit. Vos, ut eodem  
quo à me offertur animo, hoc est candido ac bene-  
volo, hoc quicquid est infelicium munera ac-  
cipiatis, oratos omnes volo.



# ECCLESIA DEBRECINA

Mæsta queritur.

SICCINE me miseram fors tristibus aspera fatis  
Ludit, & est rebus semper iniqua meis;  
Siccine nulla quies nobis, sic nulla laborum  
Finis, quod doleam sic mihi semper erit;  
Hæc sibi quid rerum facies, quid tanta malorum  
Agnina, quid tandem fata severa volunt;  
Numquid ut extinctis natis semel omnibus, extet  
Nomen de nobis præter inane nihil;  
Credo equeidem: Nec erunt, si non mitescere perga,  
Consilia, eventu talia cassa suo.  
Ecquis namque meos unquam numerare labores  
Calculus, aut isthæc quæ ferò damna queat;  
Quot mea crudeles exedunt viscera dentes,  
Carnifex rapiunt quot bona nostra manus;  
Parva loquor: Nostris quot habent ceruicibus enses,  
Quotve meas urit flama, quot ignis opes;  
Enecor, inque dies curis gravor anxia tantis  
Alterius quantas enumerare loci est.  
Sic sum fracta malis, sic fessa laboribus istis,  
Spirantis mea sit vix ut imago hominis.  
Nec tamen est vasti quisquam sub tegmine cœli  
Apportet mihi qui me miseratus opem.  
N<sup>e</sup>ve aliquis summam putet his constare malorum  
Quæ patior, libet hinc alperiora queri.

Asperiora queri libet, & crudelia fata  
Quēis premor, incultis enumerare modis.  
Aspice, dira fames quas nostra in plebe querelas  
Suscitat, irati pœna tremenda D E T.  
Vulgus conscriptos frumentum poscere patres  
Pergit vt, & querula voce rogare cibos.  
Crediderim similes Pharon obseruasse tumultus,  
Septennis premeret cum sua rura fames.  
Cum puer Hebræus cumulata sub horrea farra  
Divino Phariis venderet admonitu.  
Agricolæ multi, multa olim messe superbi,  
Inuisam tolerant nunc sine pane famem.  
Insolitis alii dapibus jejunia pellunt  
Paupertate novos inveniente cibos.  
Pestis adhæc, latè quot funera misceat, ecquis  
Luminibus siccis enum erare queat?  
Pestis, triste malum, quod vel vitiata veneno  
Aura, putrefactus vel mage sanguis alit.  
Vel creat astrorum positus, Solisque labores  
Ac Lunæ, quis enim vera referre potest?  
Vel magis ætherea deinissus ab arce minister  
Ancipiti nostrum sauciatus ense genus.  
Ceu placuit quondam Iessæi crimina fastus  
Vlcisci tali conditione D E O.  
Quicquid erit, telum certè reor esse Tonantis,  
Nec temerè, certa sed ratione rapi.  
Cernis vt in tota vastatrix sæviat urbe?  
Plurimus ut plangat pignora rapta parens.

Conju-

Conjugibus thalami viduantur, ciuibus urbes,

Luget amatorem sponla, marita virum.

Nullus in urbe locus Genio, Libitina tumultus  
Funereos, tota suscitat usque die.

Aspice quot raptent tumulanda cadavera turbae:

Fallor, habent quod agant praeter humare nihil!

Parcite, vulneribus superi vos, parcite nostris,  
Parcite si mileris ferre soletis opem.

Nec ferre abnuitis certe, scelerata piemus  
Dum saltem fusa crimina nostra prece.

Iam satis admisæ luimus fera crimina culpæ;  
Iam segnem in rebus pœnitet esse sacris.

Iam vitiis tandem dolet indulſisse nefandis;  
Vivendi studium jam bene, majus adeſt.

Hei mihi, vos quondam faciles habuere precantes.  
Forſitan illorum parcior error erat

Nouimus ut tridui Iessa superbia pœnam  
Senferit; hinc fusa languit ira prece.

At postquam miseræ mea me fera damna morantur  
Luna quater vultus induit alma novos

Nec primùm has patior clades, nondum axe citato  
Signa, decem vicibus, per sua Phœbus iit

Ista lues mea cum per viscera fæviit, & cum  
Strata cadaveribus busta fuere meis.

Illius recolo faciem cum temporis, horror  
Frigidus, attonitæ surrigit usque comas.

Vix tumuli traxere situm, vix herba recentes  
Obduxit loculos; vix fuluere rogi,

Vix lacrymis oculos siccare prioribus udos  
Evalui; nova cum causa doloris adest.  
Causa doloris adest; vanos & in aera questus  
Spirantis rapiunt flabra proterva Noti,  
Dum loquor ecce alios spargit vaga fama dolores;  
Fallor, an haec nostri summa laboris erit?  
Doctus Apostolici mysteria pandere verbi  
THOMAS, supremum fertur obisse dicem.  
Fertur; & en totam bacchatur fama per urbem;  
Fama malis propè iam reddit a rauca meis.  
Quid querar? unde noui sumam primordia luctus?  
Aut quibus incusem fata severa modis?  
Fata meis semper precibus contraria, votis  
Fata inquam, nunquam non inimica meis.  
Eripuere virum, mea qui propè sola voluptas  
Et decus, & nomen deliciumq; fuit.  
Eripuere virum calamo, lingua, arte peritum;  
Insignem meritis eripuere virum.  
Sculpte adamantinis immobilis ordo tabellis,  
Dic age, quo merui criminale nefas.  
Quid feci? qua parte nocens tua numina lexi?  
In caput ingereres ut mala tanta meum  
Non ego tentavi tua jura revellere; dixi  
Nullius audaci criminis ore reum.  
Præsumi ergo tuum demens sperare favorem;  
Cassa sed eventu spes fuit illa suo.  
Ultima nescieram restabant fulmina; Numquid  
Ulterius quò jam progreddiaris habes?

Sed

Sed quid fata meis toties incessu querelis?

Constant perpetuis legibus illa sibi.

Et quid fata aliud, quam sunt diuina voluntas,

Stoica si demas somnia falsa modò-

Da pietas veniam; te parte lacescere nulla

Mens fuit, extorlit talia verba dolor.

Sæpe dolor multos ea dicere verba coëgit

Quæ mox pacatis indoluere animis.

Fatorum deinceps nomen mea lingua silebit

Atq; nova incipiet flebilis arte queri.

Namq; canet laudes mixtas tamen hasce querelis

Ingenuas, rapti & tot benefacta viri.

Demum graci animi pia signa fideliter edens,

Hoc querulum certo limite claudet opus.

Res est magna quidem: nec tali digna camæna;

Audaces pietas nos facit ipsa tamen

Quare age DEBRECII tecum lugete fideles;

Affici enim Natos Matre dolente decet.

DEBRECII lugete pii, nunc lugeat omnis

Turba virum, juvenum, cum puerisq; senum.

Occidit ille meæ Dux & moderator habenæ,

Saxeus est quem mors permouet ista nihil.

Occidit heu; jacet en miserabile corpus in urna;

Ferreus est viso qui tenet hoc lacrymas.

Abluite hos lymphis cineres lustralibus; illas

Sed flentes totas suppeditent oculi.

Quam vellem, fierent lacrymarum lumina fontes;

Nunc falsus nobis quis dabit esse latex?

In resupinato maceremus ut ossa sepulchro,  
Ossa sub extremum mox redditura diem.  
Namq; ego te morbis quamvis in corpore fractum  
Non doleam: lacrymis nec tua busta rigem:  
Aut tua Lethæis mergam benefacta sub undiss:  
Aut nomen nostro desit ab ore tuum:  
Tu pietas prohibeto nefas, prohibeto piandum  
Morte scelus, vacet hoc crimine nostra fides  
Ante dabit calido messes sine sole December,  
Ante rosas tribuli, balsama telsqua ferent.  
Gratia quam nostro meritorum multa tuorum  
Pectore, praeco D<sup>e</sup> & I maxime, vanuerit.  
Namque Euangelii sacra tu mihi verha solebas  
Enarrare pia simplicitate, fide.  
Fœdus ut in Christo sibi consentiret utrumque;  
Lex Euangeli concilianda foret.  
Posterior veterem quantum exsuperarat Adamum,  
Gratia quam noxis maior habenda foret.  
Qualiter exclusis operum prætextibus, omnes  
Sola fides quiret justificare pios:  
Quòde loco, C H R I S T V S qua libertate fideles  
Donavit, membris esset habenda suis.  
Legales celsisse typos, celsisse figuræ  
C H R I S T O, ceu claro pellitur umbra die  
Distarent veterum quantum sacra symbola nostris,  
Symbola nutantem nata sovere fidem.  
Multaque præterea fidei mysteria nostræ,  
Promebas mira dexteritate mihi.

Nec

Nec tibi vulgaris ratio fuit, ista docendi,

Arbitrium methodum cum tibi sæpè daret

Nescio quid suprà Doctorum vulgus habebas;

Interpres methodo vix habiture parem.

Multis plâna sequi mos est & aperta ministris,

Inq̄ illis Domini detinuisse gregem:

Ast tibi linquenti maturè elementa, medullam

Rerum, mos populis insinuare fuit.

Quid memorem excuteret cum fundamenta salutis;

Quantus facundi spiritus oris erat!

Quid: cum Antichristi vesana sophistica litem

Fecerat; hanc promptus solvere semper era;

Monstrabat râsæ contra mendacia turbæ,

Nos C H R I S T I salvos solius esse nec.

Præsidii nihil in sanctis, aut virgine matre

Esse; nec humanorum in meritis operum.

Immotam in C H R I S T O nostram residere salutem,

Nutrat in ancipi quæ tibi Roma loco

Sola fides quod nos C H R I S T O conjungat I E S U;

Sola licet verax non queat esse fides.

Non secus, ac mens sola quidem sub pectore non est;

Iuncta voluntati sed solet esse comes.

Ipsa tamen proprio mens nostra intelligit actu,

Absque voluntatis sola ministerio.

Sic calor haud unquam solus sine luce moratur,

Igneus, at non lux sed calor urit agens.

Sæpius hæc memini mihi te inculcare volentem,

Publicitus multos differuisse dies.

Ipsa monenda fui; blanda me voce monebas,  
Asperitas linguae non erat ulla tuae.

Objurganda fui: sic objurgantis obibas  
Munus, apud natos ceu pater alius obit,  
Eloquio poteras duros inflectere sensus,  
Affectus quibas ingenerare novos.

N.B. Et breviter fueras mihi quod dilectus Epheso  
Iohannes, Pathmon donec adiret, erat.

N.B. Quod bimari tandem Paulus fuit ipse Corintho,  
Quodve Titus, mendax sub Iove, Creta tibi.

N.B. Quod pater Augustine tuae dum vita manebat  
Hipponae fueras, hic mihi solus erat.

N.B. Quod Mediolano Ambrosius, tibi Leucori demum  
Sive Melanthon erat, sive Lutherus erat.

Ergo oculis vivum te haud abs re ego ferre solebam;  
Cura nec immerito tu mea solus eras.

Nunc quoque, si qua fides debetur vera loquenti,  
Nomen in attonito pectore gesto tuum.

Et benefacta feram clavis infixa medullis,  
Donec in hoc aliquo corpore, corpus erit.

Extollamque tuas magnum super aethera laudes  
Et meritis reddam premia digna tuis,

Nulla tuae siquidem totius portio vitae  
(Nam memini) vanis dedita rebus erat

Sed prodeste aliis optasti posse, simulque  
Te patriae tenuit maxima cura tuae.

Ergo tener sacras postquam transmissus ad artes,  
Intraisti patriae limina clara Scholae.

Protinus

Protinus ingenuæ mentis bona signa dedisti,  
Infigens animis prima clementia tuis;  
Inde pares inter vigisti, namque recordor  
Indole nec quisquam te meliore fuit.  
Mox ubi signaturæ tenera lanugine malorum,  
Altius humanas te monuere vices.  
Orbe alio positas statuisti quærere Musas,  
Vota nec eventus luserat ista suus.  
Nam patrios linquens longè post terga penates,  
Immensas procul hinc ausus es ire vias;  
Ergo recedenti patria tibi, linquitur altus  
Carpatus aériis qui petit astra jugis.  
Visitur Ausoni*i* celeberrima regia Gracchi,  
Regia, quam rapidis Vistula lambit aquis.  
Inde Silesiacum per mensu*m* jugera terræ  
Præbuit hospitium regia Bresla tibi.  
Alluit hanc plenis urbem niger Odera ripis,  
Odera, par amni magne Tibisce tuo.  
Misniacis tandem superatis finibus, Albim  
Saxonicum, latis conspicis ire vadis.  
Conspicis, & læta currentqm voce salutas,  
Hic fuerat longæ meta petita viæ.  
Qui madido postquam vidit tua lumina vultus,  
Cœpit arenolis tardius ire vadis.  
Cœpit, & extollens caput uidum, talibus infit:  
Perge: eris Vngariæ gloria magna viæ.  
Nec secus ingresso muros, plauscere sorores  
Leucorides, totis quām celer Albis aquis.

Quid memorem quanta hic tractaris sedulus artes  
Cura & qualinguas sedulitate duas.

Sæpius ad pingves tibi mos vigilare lucernas,  
Et studiis tota nocte vacare fuit.

Præcipue evolvens sacrorum oracula vatuni:  
In studiis multum est optima scire sequi.  
Vnde tua, Israël puris de fontibus hausta  
Doctrina, in pretio convenienter erat.

Sudassi hic patiens incommoda plurima, donec  
Gramine ter tellus, ter nive tecta fuit.

Præclaris tandem studiis feliciter auctus,  
Es patriis iterum redditus inde focis.

Redditum ut excepit THYRINVM mollibus ulnis  
Cœpisti ingenii promere dona tui.

Protinus accelerans hinc inde aurita juventus,  
Gymnasi compleat tecta diserta tui.

Teq[ue] bonas discit Rectore fideliter artes,  
Dum bis sena semel sydera Phœbus obit.

Via ego legitimo mihi te mox jure reposco,  
Iure sibi natum si petit ulla parens.

Gymnasi clavum nostri tibi dedo regendum,  
Porrectum mira sedulitate regis.

Instruis, hortaris, castigas, corripis, audis,  
Blanda mones, persers plurima, multa taces.

Iram dissimulas, simulas prudenter, amari  
Vis simul & metui, ac inter utrumq[ue] coli.

Artibus his felix pueros, juvenesq[ue] virosq[ue]  
Dirgis, atque modo conveniente regis

Ingenia

Ingenia in primis distingvis, idonea tradens  
Quiclibet, hic frænos, calcar & alter habet.  
Inde viris doctis, qui te didicere magistro,  
Totius Vngariæ pars modò nulla vacat  
Qui tua sincerè mecum scio funera flebunt,  
Absit enim ut gratum hos peccatus habere nege.

Mox ubi bis proprium confecit Cynthius axem,

Clara tui pañsim fama laboris erat.

Ergo suos ad te legatos Claudia misit,

C L A U D I A Daciaci janua firma soli.

Ambivitq; tuos precio precibusq; labores,

Obtulit & ludi fræna regenda sui.

Affensi, proprioq; meo de jure recessi,

Te paulum gremio cedere passa meo.

Ne mea nempe mihi lucem fax splendida soli

Spargeret, hoc animi est liuidioris opus.

Protinus aufugiunt te discedente Camœnæ,

Vsuræ hospitio C L A U D I A culta tuo.

Visa ego sum certè (nec enim piget ista fateri)

Nullam illo prorsus tempore habere scholam,

Castrorum interea Septem studiosa juventus

In tacito volvit gaudia magna sinu.

Nec secus ingenii depascit munera vestri,

Atque avido vestras peccatore condit opes.

Quam volucres pulso Borea, sub vere recenti,

Taurigenæ, Zephyri depopulantur opes.

Præcipue fueras hoc Claudia lumine felix,

C L A U D I A Romanis heu modò præda lupis.

Fecerat assiduis plenum Sol cursibus annum  
Iamq; tui præsens meta laboris erat  
Cum mea te reducem mox rursus epistola poscit;  
Redditus & Matri postmodo Natus eras.  
Gymnasiū positos paulò antē scholarcha capessis  
Frænos, & solita dirigis hosce fide.  
Obliquum peragrans donec bis Cynthius orbem  
Attulit emeritæ præmia miliciæ.  
*1572*  
MELIVS interea naturæ debita Magnus  
Solverat, heu quas sum tum quoque passa vices,  
MELIVS Vngaricæ decus indelebile gentis,  
MELIVS istius gloria summa loci.  
Ille tuas noscens virtutes, ore supremo  
Te successorem iusterat esse suum.  
Iusterat, & bene sit monitis pro talibus illi  
Siue illum cœlum seu paradisus habet.  
Namq; meas ræxi, ræxi heu, diligenter habenas,  
Iudicio fallitus nec fuit ille suo.  
Iam quartum decimo superaddere ceperat annum  
Sol uagus, ut noster tu moderator eras.  
Divina enarrans sacrorum oracula vatum,  
Quamvis continuis tu premerere malis.  
Dotibus ingenii præsentia damna levabas  
Corporis atque isto nomine sanus eras  
Namq; ferè quamvis oculorum luce careres :  
(Morbi hanc sustulerant continuusq; labor)  
Plebs tamen arrectis Domini magnalia fantem  
Auribus attendens læpius, obstupuit.  
Obstupuit

Obstupuit tantas mentis mirata beatæ

Divitias, tanti robur & ingenii.

Ah quoties memini populum tibi dicere : certè

Huic multum in cœco corpore lucis inest.

Notus ut exactum fuerit tibi Paulus ad ungvem,

Qui dubitet, sanum hunc pectus habere negem.

Ventura instanti vix credent secula seculo,

Talia sub tali te potuisse statu:

Quid<sup>s</sup> quòd Pannonicis poteras iam lumine cassus

Articulos fidei differuisse sonis ?

Et tales scripsisse Loco s, quibus Vngara tellus

Æquandos, lingva vix habet in propria.

Quid<sup>s</sup> quòd sermo N o v i peregrinus fœderis ausu

Vngarica incipiet verba referre tuo.

Et brevibus Scholiis genuinum ostendere sensum,

Lectorem obscuros atque docere locos.

Hoc mihi precipue moriens opus, esse volebas

Curæ, quod proles posthuma penè foret.

In charis gestabo oculis, fulvique metalli

[Gemmarumque mihi semper id instar erit.

Vtque semel cœpi prælis submittere, pergam

Edere, non ulla interveniente mora.

Tot laucti quoties animum subiere labores,

Te toties nunquam non habuisse velim.

Atque tui desiderium sub pectore nostro,

Mœrores toties innovat & gemitus.

Quid sanctos memorem mores, vitæque severæ

Munia, quid viduum sed sine labo thorum ?

Casta

Casta fuit, quæ vita fuit, pia sobria, frugit:  
Et procul à Siculis dissipata deliciis.  
Fortis in adversis animus, patiensq; laborum  
Debile cum corpus non pateretur, erat  
Hæc si nostra tuas sunt infra encomia laudes;  
Ignosces; meritis vincor ubique suis.  
Nunc jam quas possum mœrens tibi reddere grates  
Chare parens, gratæ Symbola mentis habe  
Gratia magna tibi, fidei quod dogmata, plana  
Dum licuit dixi simplicitate mihi.  
Gratia magna tibi, tua quod post fata disertis  
Nunc quoque me scriptis instruis atque doces.  
Grates Pannonici tecum date quæso Ministri  
Hic vir de vobis quod mereatur habet.  
Debita quin isti persolvant Pannones omnes  
Hic vir de cunctis quod mereatur habet.  
Quod mihi fallacis technas & crimina Romæ  
Monstrasti solers, gratia multa tibi.  
Fluctibus in mediis bone Pastor ovile relinquis,  
Hoc tibi vivendum tempore Pastor erat.  
Cum mihi mille cruces, cum mille pericula, quodvis  
Momentum miseræ, temporis hujus agit.  
Nunc decuit solita tristem solarier arte:  
Decreta at magni non voluere D E I,  
Hæc ego quæ possum. Tibi sed D E V s arbiter orbis  
Nunc dat in ætherecis præmia digna locis.  
Illic cum sanctis Dominum veneraris I E S U M,  
Illi vivus signa sequutus eras.

Offa

Ossa ego nunc tua jam tellure fideliter abdam

Ossa, prius lacrymis humida facta meis

Non tibi pyramidem statuam non ære sepulchrum

Excludam, solo pulvere tectus eris,

Pompa juvet Reges & magnos ista Monarchas

Exequis gaudes tu scio, simplicibus.

Flete pii, lugete D<sup>e</sup>s, mea membra, fideles :

Accipit heu quantum, quām brevis urna virum

Pax alat hos cineres, & qua tumulantur arena,

Cinnama pro tribulis semper odora ferat.

F I N I S.

Tho. Fel. Debre. Ecclesiam

patriam lugentem alloquitur.

BCU Cluj / Central University Library Cluj

F Ata quid assiduis juvat exagitare querelis

Quid sortem querulo carmine flere tuam?

Fsta pios ex consilio manet asperni divum:

Fllis, est idem tempus in omne tenor.

Parce igitur lacrymis, nec inanes funde querelas

Patria, quid prodest flere, dolere, queri?

Funera nil opus est prolixo nostra fovere

Luctu: Res usum non habet ista suum.

C

Non

Non ego lugendus vacuis vagor exul in umbris  
Nec pœnale chaos, tristia regna colo.  
Sed fruor ætherea, nunc Umbra beatior, aura:  
Imperium præsens hic ubi Christus habet.  
Dum licuit tecum vitam nec inutilis egi,  
Ella sed en vita verius umbra fuit.  
Hic pax, hic requies, hic fulgor amabilis, hic lux  
Hic cum perpetua, gaudia veni die.  
Hic bonitas, hic integritas, sapientia, candor:  
Virtutum hic plenus sed sine labe chorus  
Et quod summa benè est huius perfectio vitae  
Cernitur hic præsens, omnibus omne Deus.  
Vos lacrymæ, morbi, noxæ, contagia, lethum,  
Vos pavor, esurie, cura, laborq; premunt.  
Colligere inde potes, vitam qua sorte priorem  
Mutarim, qualem nunc teneam ve locum  
Quare age sollicitos de pectore pelle dolores  
Pelle, quid assiduis fletibus oni rigas,  
Quin potius tibi quæ nuper mandare solebam.  
Sedula sollicita fac tueare fide.

Sis

*Sis pia sis fidei custos animosa receptæ,  
Non nūgīs-verbō nititur illa Dei  
Hanc ego te, nosti, docui, mea scripta revolve  
Tēstantur nostram quēislibet illa fidem  
Divinum doceat fidei, te dogmata verbum  
Non licet hic quenquam consuluisse tibi.  
Nec modò plura libet: Domini protecta sub alis  
Tempus in æternum patria chara vale.*



BCU Cluj-Napoca University Library Cluj

E P I C E D I O N  
E I V S D E M B R E V E.

*STEPHANO FELEGIHAZIO*  
*Debrecino fratre, amantissimo fratri, et paren-*  
*tis loco semper habito multis cum lacry-*  
*mis, in testimonium pietatis*  
*scriptum.*

Qvis mihi nunc lacrymas in carmina, quis ué que  
Quis præbet luctus, qui s gemitusq; graves? (relas  
Vt tua luctuosa deplorem funera veriu,  
Teq; canam inesta frater amandè lyra.  
Nos quoniam miseris sublatus funere tristi  
In medio linquis (proh dolor) ecce mari.  
Hei mihi lugenti quos nobis morte dolores  
Quos præbes gemitus, quas lacrymasq; graues.  
Hei mihi quos luctus mærens Ecclesia fundit,  
Hei mihi quos luctus fundit ouile D E I.  
Hei mihi quas patitur nunc CHRISTI Ecclesia fraudes  
Hostiles quantas sustinet atque manus.  
Nunc certè fuerat tempus remouere luporum  
Insidias, plebi & dogmata sacra dare.  
Tutamen (hei nobis) cœlestia tecta capessis  
Æterni frueris contuituq; D E I.

Verum

Verum flere licet nobis, lacrymasq; rigentes  
Fundere, & imbre genas conmaculare novo.  
Nunc quoniam duris oppressa Ecclesia rebus  
Iacturam tristi conditione refert.  
Nos quoque lugemus Ipoliati præside tanto  
Qui sumus auxilio turba relicta tuo.  
Heu quando parcæ minuetur vestra potestas  
Eheu fatorum vis fera quando ruet;  
Vos etiam tristi rapuistis morte PHILIPPVM  
Gymnasi fuerat qui pater Albiaci.  
Vos quoq; solvistis MARTINI fata LUTHERI  
Reslituit sanctæ qui pietatis opus.  
Vos etiam HORHINUM rapuistis funere PETRVM  
Qui pavit Domini cum pietate gregem.  
Vos HELLOPAEI rapuistis corpora sancti  
Qui docnit puræ religionis opus.  
Huc quoq; per celebri Reverendū nomine THOMAM  
Morte peremisti tristia fata truce.  
Cuius ob interitum Christi sic luget ovile  
Ut solet amissa prole dolere parens.  
Quattuor & denos tractauit sacra per annos  
Debrecijs spargens dogmata sancta viris.  
Quinetiam libros proprii monumenta laboris  
Edidit, & populo multa legenda dedit.  
Hic etiam fœdo turbantes dogmata sacra  
Vicir, cœlesti munere multa tenens.  
Et sacri versutis qui turbant dogmata technis  
Comprecessit rabiem, sustulit atque dolos.

Iste piam duxit vitam castamque sacramque  
Iste suum vixit cum pietate diem  
Iste tenet celsi purissima mœnia cœli  
Iste Deum cernit mente oculisque suum.  
Iste beatorum requie super æthera cœli  
Nunc fruitur, sanctos cernit & iste patres  
Oceani in medio nos hic sine puppe reliquit  
Ut nos scindamus nunc sine classe freta  
Iste sua sulcans felici iam freta classe  
Pressit humum pedibus litora tuta petens.  
Pange igitur peccus trepidis Ecclesia palmis  
Namque tibi subito mœsta querela venit,  
Abde tuos pulla vultus modo veste decentes  
Gloria namque tibi morte perempta jacet.  
Flete senes, iuuenes, pueri, uos flete puellæ,  
Et manibus vestris vos lacerate comas.  
Vos lacerate comas, & fletibus ora rigate  
Estis qui auxiliis turba relicta suis,  
Conde tuos vultus nunc Lucifer optime conde  
Luminna conde precor phœbe benigne tua,  
I precor & violis gemebunda Ecclesie T H O M A S  
Exorna tumuli busta sacrata tui.  
I precor atque illi tranquillam posce quietem  
Extremum donec cernit adesse diem.  
Ergo iaces divine parens cultissima morum  
Regula, sed semper fama superstes erit.  
O columen sacrum, vitæ spes vnica nostræ  
Vrbis D E B R E C I A E gloria summa jaces.

O fidei